



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De Baptismo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Alterum, aliquid circa litterarum peritiam indulgeri posse pro Regularibus, si sint Anachoretæ, & solitarij.

Alterum, si ordinandus, ut notavi §. 2. num. 5. necessarius sit pro Oppido, vel Sapientiores haberi nequeunt, multo magis si indigeat operariis pro vinea Dei in locis infidelium, supposita solida virtute ordinandi, quia præstat Sacerdotem habere non valde doctum, quam habere nullum.

Adde, & tertium cum Gualino de Irreg. cap. 3. q. 3. n. 8. sine, & Villalobos. Si Canonici, inquit, vel alij Beneficium habentes insignes sint moribus, aut alio quopiam eximio dono præditi, facile scientiæ defectus aliquis dissimulari poterit. Hæc illi de Beneficiariis, quæ certè Sacerdotio in aliquo raro casu convenire posse, non est repugnandum.

§. IV. De examine Ordinandorum ad cognoscendam eorum peritiam.

2. Vixta Tridentinum sess. 23. c. 12. de Reform. ut diximus, omnes, etiam Regulares, sunt diligenter examinandi subdendi. Circa, quod cum declaratione non indigeat, duo adverte duntaxat.

Primo, si ordinandus sit aliunde notus, posse examini non subire, ut notat rectè Sanchez de censib. lib. 7. cap. 5. disp. 46. n. 8. in modo convenientius fore, puto, si ille non examinetur, quando eius certa peritia est, ut nimirum intelligant omnes benignè, immò, & cum decore excipi ab Ecclesia Sapientes.

Secundo, Regulares ex vi Tridentini citati subduntur examini Episcoporum, ut probat Castrop. de Ord. p. 8. n. 1. non obstantibus eorum privilegiis. Tamen, quia post Tridentinum adest Privilegium Gregorij XIII. quo videntur eximi ab examine prædicto promovendi ex Societate, omnesque ferè Religiones contendunt hoc idem Privilegium ipsis per communicationem fuisse concessum, id, quod meum, nunc decernere, non est fidei solum Episcopis dico, eos posse acquiescere examini, seu approbationi factæ à Superioribus Religionis pro suis Religiosis promovendis, sicuti acquiescere idem Episcopus solet suis propriis Examinatoribus. Id autem dico, quando Episcopo moraliter constat de sinceritate, & diligentia dictorum Superiorum. Quod addo, quia nimis frequenter adverti, Superiores plus æquo esse in re hac indulgentes suis Religiosis, cum tamen etiam ipsos Religionum Prælatos respiciat Præceptum Tridentini, ut diligenter examinent promovendum.

§. V. Quis dispense in defectu scientiæ?

1. Si constet, esse quempiam illiteratum in eo gradu, quo §. 1. dictum est, statim constabit, eum esse Irregularem ita, ut nemo illum dispensare, nisi Summus Pontifex, possit.

At quia, ut in simili supra notavimus, sæpè Episcopo declarare conceditur, imperitiam non esse in eo gradu, qui constituat hominem illiteratum, atque irregularem, ideo poterit tunc Episcopus eundem ad Ordines promovere.

CAPVT XIII.

De Irregularitate ex mala usurpatione Baptismi.

EX aliorum Sacramentorum abusu nulla, teste Castrop. de Cens. d. 6. p. 16. Laym. l. 1. p. 5. c. 2. Suar. d. 42. de Cens. sect. 2. oritur irregularitas, præter Baptismum, & ordinem, de quibus iam brevem tractationem aggredior.

§. I. De Baptismo male suscepto.

1. Qui Baptismum (uniquè validum) ab hæretico scienter extra casum necessitatis recipit, irregularis est. Ita Suarez 3. p. 1. 3. de 35. sect. 6. sine Theol. de pœni. Eccl. p. 2. v. Bapt.

2. Dixi (scienter) nam tum infans (quicquid dicitur Maiolos) tum adultus, qui hanc prohibitionem nescit, sicuti excusatur à culpa, sic & excusatur ab hac pœna.

3. Dixi item (extra casum necessitatis) quia excusaretur modo is, qui morti v. g. proximus Catholico baptizante carens, ab hæretico baptizari se finxit. Excusaretur etiam, qui metu gravi coactus ab hæretico Baptismum susciperet; is enim etiam putatur casum necessitatis.

4. Qui autem, cum sit adultus, Baptismum recipere differt usque ad articulum mortis, sive, quia præsumit voluisse peccare libere, unde sit indignus Ordine, sive, quia est numerandus inter Neophytos, irregularis est, C. unic. dist. 57. ut supra vidimus cap. 1. n. 1. n. 58.

5. Quæres. Qui baptizat privatim aliquem sine necessitate, peccat sine dubio: at incurrit irregularitatem?

Respondet. Aliqui putant tum Laicum, tum Clericum non Sacerdotem incurrit, si sine necessitate sit privatim, sive solemniter baptizet. Sed probabilissimum iam hodie est, Laicum nunquam incurrit, Clericum vero non Sacerdotem incurrit solum, quando solemniter baptizat sine necessitate. Ratio dictæ dicitur est, quia in c. 1. §. 2. de Clerico non ordinari, ubi irregularitas fulminatur, solum loquitur Pontifex de Clerico non Sacerdote baptizante solemniter sine necessitate. Igitur non est extendenda ad alios, nec ad Baptismum privatim. Quare idem Clericus, si baptizet extra necessitatem privatim, repugnantem Sacerdoti, vel Parocho presentem, esto peccet, irregularitatem tamen non incurrit. Nec obstat, quod in d. cap. prohibetur sub irregularitate exercitium Ordinis ei, qui non est ordinatus, non obstat inquam, quia Baptismus non solemniter, non est exercitium, seu actus ordinati, ut ordinari, sed cuiusvisque etiam Laici. Lege Sylvestrum, V. Irreg. q. 112. §. 27. Gratian. tom. 5. dist. 2. n. 1. Suar. de Sac. 31. sect. 3. G. Hurt. de Irreg. d. 2. diff. 2. n. 5. aliosque.

§. II. Ex Rebaptismo.

1. EX Rebaptismo absolute facto evadit irregularis, is, qui ex officio ministrat dicto Rebaptizanti. Quia (absolute facto) nam ex conditionato, puta si scietur es baptizatus, te baptizo, quamvis teneat, id sine sufficienti ratione dubitandi repetatur Baptismus, nulla inducitur irregularitas. Ita Suar. aliique cità Diana p. 3. tr. 4. ref. 9. Gibal. de irreg. c. 4. q. 4. n. 12.

§. III. Quis dispense in his.

1. IN his unus Summus Pontifex dispensare valet, scilicet Primò, quando Rebaptizans ingreditur Regionem; tunc enim ex cap. Litterarum de Appell. pœn. Episcopum dispensare, docet Prates, in manus, c. 4. de Irreg. disp. 5. c. n. 16. Excipe Secundo, quando delictum est occultum; tunc enim ex Tridentino sess. 24. c. 4. de Refor. dispensat etiam Episcopus, ut Ioan. Præp. 3. de Bapt. art. 9. dnb. 3. num. 105. & 106. signate vocat.